

dignum; sed magnopere laboremus, ut gregibus nostris temperantiae, pietatis, charitatis exemplo praeceamus. Nostra bona conuersatio disponit auditores, ut sibi persuadeant, nos non solum pietatem docere, sed quoque exercere. Si vero auditores bonam doctrinam audiant, & malam vitam videant, parum aedificatur, plus destruitur. Nostra mala vita inspirat auditoribus cogitationem, nos ipsos non credere, quae praedicamus, quae cogitationes verbi diuini efficaciam impediunt.

8.) Obseruent etiam reuelatae religionis cultores, infidelitatis patronos proferre in suis discursibus voces sensu & ideis vacuas, quales sunt *necessitas, casus fortuitus, anima vniuersalis* & similes. Haec vocabula sensu & idea carentia reducuntur ad qualitates occultas, & ostendatur eiusmodi vocibus infidelium ignorantiam tegi. Si enim istas voces tanquam principia assumes, & ex iisdem nouam creationis speciem deduxeris, facili negotio ostendes, nihilum esse omnium rerum creatarum causam efficientem, quod quam insipidum? Si vrgeant, illas voces denotare aliquid agens, quod omnium rerum causa est; necesse est, ut fateantur, illud agens continere omnes perfectiones, quas nos Deo tribuimus. Hoc modo cognosces infidelitatis fautores obscuris suis locutionibus, vel nihil dicere, vel idem fateri, quod negant, quae magna est mentis caecitas.

9.) Doctrina quoque de anima recte est percipienda, infideles enim plura de anima loquuntur, eamque substantiam a materia & motu distinctam negant, putantque, eam post corporis solutionem non subsistere. Sed quicquid dixerint, nunquam probabunt,